



Index Disput:

1. De Medicina natalitūs, definitione et divisione
2. De Temperamentis.
3. De Spiritibus.
4. De calido innato.
5. De calido innato s. Spiritu vitali.
6. De humani corporis humoribus,
6. De catalepsi.
7. De Materia turpente.
8. Tractatus de Podagra.
9. De cas medicamentorum composit; officinalium.
10. De Ichore ulcerum seroso. (Glinndayßer)
11. De Rheumatico affectu.
12. De Mania s. Insania.
13. De Angina.
14. De Phrenitide.
15. De Vertigine.
16. De vera natura et recte rationis curanda quod dicitur
17. De Peripneumonia.

DISPUTATIO MEDICA
DE

21.

MORBO HYPO-
CHONDRIACO

Quam

D. T. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO

VIRI AMPLISSIMI EXCELLENTISSIMI ATQUE
EXPERIENTISSIMI

DN. MARCI BANZERI AUGU-

STANI Medic. Doct. P.P. & Facult. Senior.

ejusdemq; h. t. DECANI Spectatissimi.

Dn. Hospitis, Præceptoris, Patroni ac Promotoris sui,
omni observantiæ & honoris cultu æviternum
suspiciendi.

In Alma Leucoreâ

Publicæ ac placidæ Philiatorum ventilationi


Subjicit

CHRISTOPHORUS GALLUS

Strasburg. Boruss.

Ad diem Februar.

in Acroaterio Medico, horis consuetis.



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.

ANNO M. DC. L.

DISPUTATIO MEDICA

MORBO HYP.
CHONDRIACO

Quam

SUB PREESIDIO

VIRI AMPLISSIMI AC CELEBRATISSIMI ATQUE
EXPERIENTISSIMI

DN. MARCI BANZERI AEGII

STANI Medic. Doct. P. P. & Facult. Senior.

episcopi & c. DECANI spectabilissimi

De Hospitalis, Pæceptoris, Patroni ac Promotoris sui

omni observantia & honore curæ tractatum

inspicendo

In Alma Leucorea

Publicæ ac privatæ P. P. & Facult. Senioris

Quam

CHRISTOPHORUS GALLUS

Strassburg. Boruit.

Adhib. & Februar.

in Latino Medico. horti confectis.

—————
WITTEBÆR.

Typis Johannis Reineri Acad. Typogr.

ANNO M. DC. L.

CUM DEO.

Præfatio

AUrea illa Divini Cōj sentētia, 6, Epid. Ἀσκησις ὑγίης ἀκορῆν τροφῆς ἀσκήνη πόνων: h. e. Sanitatis studium, non satiari cibis & impigrum esse ad labores, cui libet valetudinis suæ curam habenti, semper firmissimè animo hæere debet. His n. duobus velut capitibus præcipuis universam tuendæ sanitatis rationem contineri manifestissimū est, raroq; crapulantes aut otio diffluentes satis firma aut commoda frui valetudine quotidie experimur, Ad sanitatem etenim tuendam haud minimum momentum exercitationem (ut hanc tantum jam attingamus) habere non Authorum tantum constanti assertione, sed & ipsa Experientiæ fide, exploratissimum semper omnibus habitum est. Proinde haud mirum qui Musis suam locarunt operam literisq; vacant, suum ob vitæ genus sedentarium, corpus frequenter νοσερόν & variis obnoxium affectib. circumferre. Cum a. inter hos, ob modo dictam causam frequentissimè literarum cultores Affectio hypochondriaca infestet, ita ut per paucos, qui præsertim ætatem virilem jam aut attigerunt aut superarunt, ab hac immunes conspiciere liceat, hocq; in primis seculo illa ipsa male audiat, & pro communi quadam calamitate & seminario quasi omnium penè morborum habeatur, obscura præterea & multis implicita Symptomatis sit ægritudo, eandem in præsentia, præ aliis, exercitij gratia, Φιλιάτροις examinandam proponere volumus: non attendentes, quod quæri soleat, num Affectus iste Priscis etiam innotuerit, quoq; illum nomine designarint, Ego licet non dubitaverim, ob consuetam antiquitati frugalitatis & sobrietatis studium minus ipsā

huic malo fuisse obnoxiam; tamen morbum hodie tam frequentem & familiarem adeoq; obviam suæ generationis causam agnoscentem, ut ex dicendis patebit, veteres omninò latuisse, ac plane nunquam exagitasse, vix verisimile. Licet eund. non adeò diffusè & exactè depinxerint, sed aut sub nomine melancholiæ Hypochondriacæ, aut morbis splenis, mesenterij alteriusve partis in Hypochondrijs aut abdomine sitæ, comprehenderint. Morbus certè siccatorius, ratione eventus, ab Hippocr. lib. 2. de Morb. dictus, si non idem, saltem congener aut cognatus cum præsentis nostro est, quod ex signorum & symptomatum enarratione infra clarius innotescet. Sennertus etiam noster existimat Dioclem sub nomine morbi flatuosi aut melancholici apud Galenum 3. de loc. affec. c. 7. hunc ipsum quoque descripsisse. Nisi quis malit authorem illum potius melancholiam hypochondriacam in specie aliàs dictam, ibid. designasse. Id quod vel ex ipso Galeni loco allegato & lib. 5. de loc. aff. c. 51. Paulo item lib. 3. c. 14. Aetio Tetr. 2. Serm. 2. c. 9. Avic. lib. 3. Fen. 1. Tr. 4. c. 18. colligere est, quia hisce in locis omnia, quæ Diocles de suo morbo flatuoso s. melancholico refert, melancholiæ hypochondriacæ attribuuntur. Galenum etiam ipsum in ea fuisse opinione iudicio est, quod Dioclem reprehenderit, ob silentio præterita duo præcipua melancholiæ signa, metum scil. & tristitiam. Ut interim taceam, affectionem hypochondriacam nostram, contra quam Diocles de suo morbo flatuoso docet, ad ventriculum, tanqu. partem proximè & primariò læsam, rarius aut nunquam referri, ipsumq; in hac frequentius frigida quam calida laborare intemperie. Matth. Martini Tr. de Aff. hyp. Dioclem hypochondriacam stomachicam sibi in specie dictam descripsisse

scripsisse autumat. Cæterum non tam operæ pretium sci-
renum affectus hic Veteribus notus fuerit, quam quis
qualisve sit, unde progignatur, quomodo cognoscatur,
quibusq; curetur, nosse. Quæ omnia jam ex disputationis
lege, paucis, quantum quidem rei dignitas permittit, pro-
ponere studebimus. Trismegistus noster Medicus Jesus
Christus institutum nostrum clementer provehat & felici-
ter profligari sinat.

Thesis. I.

Ut autem à nomine s. Etymologia pro more telam
nostram exordiamur, morbus hic, de quo *πυζητησις* insti-
tuere animus est, communiter vocatur Affectio seu Passio
Hypochondriaca aut Malum Hypochondriacum, nobis
& Morbus Hypochondriacus, à loco scilicet laborante,
hypochondrijs nempe, quia hac in corporis regione cau-
sâ hujus affectus, imò etiam ipse affectus hæret ac stabu-
latur. Sic nempe dictus quia *ταῖς χόνδροις ὑποκείται*, id est,
cartilaginibus notharum costarum, subjacet. Quamvis
autem strictè & in specie magis, regio supra umbilicum
utrinq; ad latera jam dictis spuris costis subiecta, hepar
& lienem præcipuè continens, Græcis & Latinis Hypo-
chondria nuncupetur. Tamen laxo magis significato Hy-
pochondriorum nomine etiam venit tota ea corporis re-
gio, quæ sub nothis costis ad ilia usque protenditur, non
solum musculos, verum & interna viscera, ut, præter he-
par & splenem, ventriculum, maximè ejus fundum, me-
senterium, omentum, pancreas unà cum ipsorum vasis
complectens. Et hac ratione parum ab Abdomine hypo-
chondria distant. Præterea quamvis in genere omnes
partium in hyponchondriis sitarum aut collocatarum
affectiones hypochondriacæ dici queant tamen mox de-
scribendo

scribendo morbo hoc nominis speciatim aliorum exem-
 plo accommodare libet, cum reliqui dictarum partium
 affectus propria sua nomina invenerint. Posset & *πύσος* *Πύσος*
σώδες affectus flatulentus s. flatuosus, à copia scil. flatuum,
 quam communiter producere solet, ut post dicetur, no-
 minari. Quamvis & Melancholia hypochondriaca speci-
 aliter dicta, hoc nomine quandoq; donetur. Secundum
 Arabes Affectio Mirachialis, ad imitationem Melancholiae
 mirachialis, id est, abdominalis s. hypochondriacæ vo-
 cari posset. Arabibus namq; Mirach Abdomen denotat,
 aut, ut quidam volunt, Mesenterium sive pancreas. Chi-
 mici Tartarum hypochondriorum à causa & loco
 mali appellitant. Per Tartarum terrestres, crassos & fecu-
 lentos humores, quales ferè hujus ægritudinis authores,
 subintelligendo.

II.

Postquam ratione nominis dedimus, jã & ad plenioram
 morbi hujus cognitione ipsius definitione proponemus.
 Licet enim Iureconsulti haut præter ratione omnẽ defini-
 tionẽ periculosã affirment, nihilominus tamen cum illa
 ipsa *ἀρχὴ πάντων* habeatur, sine definitionis luce ulterius
 progredi nolumus. Ac quãvis perdifficile sit una & perfe-
 cta definitione naturam & essentiam hujus affectus, utpote
 ex tam multis ijsq; diversi generis & diversas partes occu-
 pantibus morbis & symptomatis complicati, exprimere,
 qualem tamen possumus, afferemus. Ita igitur eundem
 commodè describi posse putamus: quod scil. sit visceris
 alicujus in hypochondriis contenti & secundæ potissi-
 mum coctioni inservientis morbus compositus ex intem-
 perie sicca & ut plurimum calida cum cacochymia varia,
 crassa, oberrante, putredinis experte atque obstructione
 constans, coctionem & nutritionem interturbans, flatus
 rugitus

rugitus ac ructus multos copiosamq; salivam produ-
cens aliaq; plurima & varia Symptomata, citra tamen febrim
& delirium, excitans. Datam hanc seu definitionem s.
delineationem eam aliquanto diligentius examinabi-
mus & ad stateram medicam ponderabimus.

III.

Primò igitur generis & quidem generalissimi locum
in definitione nostra morbus obtinet. Siquidem inter
morbos potius quam causas aut Symptomata hunc affe-
ctum referre maluimus, & quidem compositos, ut ex jam
dicendis patebit.

IV.

Morborum igitur alter est Intemperies. Siquidem
in viscere principaliter laeso temperatura sicca excedit,
cui plerumq; calor quidã præternaturalis jungitur. Neq;
enim simplex intemperies sed composita, sicca scil. & ca-
llida hic in vitio est. Ubi tamen notandum siccitatem qui-
dem semper perstare & indies quasi augeri, caliditatem
verò ubi calor defervuit, nonnunquam in frigiditatem
degenerare. Hinc etiam accedit, ut non pueros vel adole-
scentes aut constitutione albos, pingues, crassos, hoc ma-
lum apprehendat, sed communiter ætate proveciores &
naturã jam sicciore, habitu extenuatos ac duram car-
nem habentes. Eandem ob causam mulieres quoq; viris
rarius hoc ipso infestantur. Quamvis & mensium fluxus
hic aliquid commodi adferre queat. E contrario verò si
subsistat, non rarò huic malo ansam præbet. Nonnun-
quam tamen accidit ut *ἀντιπεραξία* quædam viscerum in
hypochondriis locatorum occurrat, uno ipforum exi-
stente calido, altero frigido.

V.

Verumdicta intemperies non est solitaria aut immate-
rialis

IX. C. 11

riales, sed cum humoribus vitiosis aut cacochymia & quidem varia, coniuncta. Siquidem humores hic redundantes non semper sunt uniusmodi. Sæpè quidem Melancholici, non rarò tamen etiam pituitosi, quandoq; biliosi, atrabilarii aut mixti existunt, ut inter causas pluribus demonstrabitur.

VI.

Præterea crassam hic peccare cacochymiam pronunciamus. Quia cuiuscunq; sint generis humores, semper tamè, si non ex toto, saltem ex parte, crassi foeculenti, terrestres, aut tartarei, ut Chymici loquuntur, existunt. Licet enim non semper suâ naturâ tales sint, ob viscerum tamen & vasorum calorem obstructionemq; diutius retenti tandem incrassescunt.

VII.

Coeterùm humores in malo hypochondriaco peccantes non semper & solum visceri alicui inclusi hærent; Sed eorum pars per vasa paulò infra thesi 20. denominanda, diffunditur, ac oberrat, aliàs tot & tam varia symptomata in affectu hoc contingentia, qualia post enumerabuntur, procreare non possent. Hinc etiam Medicorum observationes docent, plurimos qui magna viscerum in hypochondriis contentorum mala utpotè, humorum colluviem, tumores, abscessus, & ulcera passi sunt, de affectione tamen hypochondriaca non conquestos; ita ut eiusmodi vitia non nisi demum in denatorum cadaveribus, apertis deprehensa sint.

VIII.

Ut ut autem humores varii corrupti & vitiosi existant, tamen putredine non sunt infecti, siquidem aliàs febrem causarent, quæ tamen, ut mox dicetur, de præsentis huius affectus essentia non est.

IX. Coete-

IX.

Coeterum præter morbum similem, id est intemperiem cum materia, & morbum organicum in via, obstructionem videlicet, in affectione hypochondriaca concurrere, cum aliis plerisque Medicis præstantissimis statuimus. Hancque sententiam procreationis hujus affectus ratio primum confirmat. Siquidem in otio & quiete viventes plerumque apprehendit, quibus viscerum obstructions admodum familiares. Deinde quia à crassis & lentis humoribus facile obstructionem causantibus originem sumit. In visceribus vasis angustis & exilibus præditis potissimum quoque subsistit. Præterea nisi obstructions concurrerent, adeò diuturnus & curatu contumax non esset. Hinc Mercatus lib. 1. Cur. Morb. Int. c. 17. in aliquibus humores quasi impactos esse, ita quidem ut vasa continentia veluti varicosa & cancrosa fiant, scriptum reliquit. Denique curandi methodus Practicis quasi omnibus consueta, quæ ad obstructions reserandas plurimum accommodatur, idem persuadet.

X.

Quidam contra quod semper obstructions hoc in malo concurrant, non necessarium putant, imò sæpè malum hoc absque obstructione contingere posse affirmant, cum in venis & arteriis multi pravi humores sine obstructione colligi queant. Præterea obstructionem hic primariam non esse mali hujus causam, etsi quandoque concurrat, ex eo patere, quod in hoc morbo manifestus sit ex liene in ventriculum & contra meatus. Denique ipsum Galen. 5. de loc. aff. c. 6. plures ex hypochondriacis splenicos esse, et ex hoc etiam viscere *μὲν ἰσχυρὸν ἰχθῆρα* in ventriculum irruere, testatum reliquisse.

B

XI. Verum

XI.

Verum pace horum dixerim, licet multi pravi & excrementitii maximè tenues & diluti humores, in vasis præsertim majoribus, absq; obstructione, in primis omnimoda, contineri queant, tamen id in minoribus & per viscera præsertim reptantibus, fieri nequit, si maximè humores crassi & terrestres extiterint diutiusq; inhæserint. Et si non omnia, saltem aliqua aut plura ab iis obstructentur. Præterea licet in quibusdam hypochondriacis ex liene in ventric. & contrà, manifestus sit commeatus, præsertim per vas breve dictum, utpote satis amplum tamen & citra illius meatus plenariam obstructionem aut etiam omnimodam læsionem malum Hypochondriacum contingere potest. Postremò etiam obstructionem de hoc ipso non tollit locus Galeni; Obstructio siquidem nunc in hæc, nunc in illâ, nunc in unâ, nunc in pluribus contingere partibus potest.

XII.

Ut verò aliquantò accuratius hujus mali naturam explicarem & ab aliis affectibus cognatis eò magis distinguerem, communissima eius accidentia, quæ ferè producere solet, differentia loco ipsi definitioni jungere visum fuit: veluti sunt coctionis & nutritionis læsio, flatuum & ructuum productio, sputi copiosi generatio, de quibus omnibus inter signa & planius & plenius.

XIII.

Dictis etiam junximus hunc morbum febris expertem esse. Cum enim uti supra jam monuimus, humores ipsum causantes putredine infecti non sint, necessario hunc morbum febris non sequitur, nec ejus essentiã constituit. Interim non negamus illos ipsos humores quandoq; putredinem concipere & hinc febrim, præsertim lentam aut erraticam, producere posse.

XIV. Po-

XIV.

Postremò ut morbus hypochondriacus à melancholiâ hypochondriacâ in specie dictâ distingueretur, delirium in illo abesse haud præter rem in definitione monuimus. Si namq; cum affectu hypochondriaco melancholia seu delirium concurrat, tum communiter is sub nomine Melancholiæ hypochondriacæ Medicis venit, de qua tamen nunc agere nostri non est instituti.

XV.

Ad diagnosin vero morbi propositi haud leve quoque momentum habet subiecti seu loci principaliter affecti dignotio. Nos eum viscus in hypochondriis contentum statuimus. Quam autem corporis regionem per hypochondria intelligamus, quæq; in illis viscera situe ntur, supra indicatum. Nemo interim mirabitur, quod nullam certam & definitam in definitione pro loco affecto expresserimus partem, cum modo hæc, modo illa, modo una, modo plures morbi huius subiectum sint. Ita ut Petr. Sal. Diversus scribere non dubitaverit, quamlibet corporis partem in ventre inferiori positam malum hypochondriacum excitare posse.

XVI.

Quamvis enim venerandus noster Sennertus lienem hoc in affectu semper laborare velit: tamen nos rationem nullam satis manifestam aut firmam videmus, quin non & vitio alterius visceris in abdomine contenti, puta hepatis, mesenterii, omenti aut pancreatis, citra læsionem splenis idem quandoq; oriri queat. Imo illum ipsum ex mesenterio frequenter originem sumere nullatenus dubitamus: Sit. v.g. qui intemperie calida & sicca jecoris mesenterijve & simul in viscere horum alterutro angustia seu exilitate vasorum naturâ laboret, is certè facile etiam citra

lienens noxam sanguinem crassum & adustum congregare & hinc morbum hypochondriacum incurere poterit. Et si scorbutus, fatente ipso Sennerto prax. lib. 3. part. 5. sect. 2. c. 2. p. 556. salvo liene generari potest, quidni & malum hypochondriacum? Quia nullam disparitatis rationem video.

XVII.

Magis à vero aberrant ij qui lienem hujus mali causam planè esse negant, culpamq; in ipsum immeritò transferri censent, quod lien non sit melancholici excrementi receptaculum, sed sanguinis, & quidem tenuioris, non vero crassioris officina. Verùm licet concedatur lienem melancholico excremento solum excipiendo naturaliter non esse destinatum, sed potius sanguinem sui generis generare: tamen quod lien respectu hepatis simpliciter tenuiorem sanguinem generet facile concedi nequit. Neq; enim credibile intestina & inferioris ventris membra nobiliori sanguine, quam reliquas corporis partes ali. Præterea ipsum lienis parenchyma quod naturaliter plerumq; quodammodo in homine nigricat & hinc rubore & puritate ab hepatis parenchymate multum superatur id ipsum indicat. Unde etiam Aristoteles hepatis lienem postponit, dum hunc *ὄθον ἡπατος* appellat. Hinc quoq; experientia constat, quod splenetici majori ex parte malo hypochondriaco sint districti: Imò Hypochondriacorum lienem ejusque vicinas venas nigro humore fuisse oppletas & distentas sæpius visus docuit. Sit sanè ut multo ferro sanguis lienis abandet non ob id tamen præstantior habendus, imò hoc ipsum potius ejus crassitiem arguit, utpote quod ad diluendum tali humore indiget. Et quamvis omnia quæ hypochondriacis accidunt symptomata ex ipso liene deduci nequeant, tamen non sequitur, quod

quod lien nihil ad horum generationem faciat, sicut non concludere licet, sanguificationis organum non est scabi-
osum, ergò vitiosum non generat sanguinem. Neq; ne-
cessarium est, ut in mortuis lien semper vel durus, vel
scirrhosus, vel tumidus, vel alio modo ad sensum male
affectus reperiatur, sufficit si vel ejus temperies vel sub-
stantiæ modus sit læsus, ob quæ vitia non recta fiat in eo
sanguificatio, quæ tamen sensibus semper deprehendi ne-
queunt.

XVIII.

Quod autem secundæ potissimum concoctioni inter-
vire viscus laborans in definitione dixerimus, id ideò fa-
ctum, ut hoc ipso ventriculum & intestina à culpa absol-
veremus. Siquidem hæc non primariæ aut principaliter
partes affectæ hoc in malo existunt: licet interim non ra-
ro causam antecedentem suppeditent. Discernendum et-
iam inter partes quæ per consensum hoc in malo affici-
untur quorumq; læsione sese maximè hoc malum prodit;
& inter partes s. locum in quo materia mali proxima ge-
neratur & colligitur. Præterea etiam notandum, etsi ven-
triculus afficiatur, adsint vomitus & alia ventriculi male
affecti indicia, tamen satis multa testantur istos humores
non omnes in ventriculo generari sed aliunde transmit-
ti. Imo licet in ventriculo generarentur, tamen potius
symptomatum quæ circa ventriculum contingunt quam
ipsius affectionis Hypochondriacæ principaliter causa
aut signum existerent.

XIX.

Interim cum duplex quasi hujus morbi sit subiectum:
Fons scilicet & locus à quo materia morbifica suppedita-
tur, & sedes in qua eadem generata continetur: Scien-
dum materiam hanc non semper in uno vel pluribus di-
ctorum

torum viscerum hærere & subsistere, sed frequentius simul in vasa ipsis proxima & cohærentia dispergi. Proinde communiter rami venæ portæ & arteriæ cœliacæ ac mesentericæ majores qui ab hepate & liene ad ventriculum & vicina loca tendunt, imprimis vas breve tam arteriosum quam venosum eaq; mesenterii omenti & pancreatis loca è quibus in dicta vasa humores excrementitii facile recurrere possunt, materiam huius mali proximam continent. Quandoq; autem materia hæc vitiosa in vasa dicta regurgitat, & hinc malo hypochondriaco materiam supeditat, cavitas illa quæ in sinistro hypochondrio sub diaphragmate è ventriculi, omenti coli & viscerum connexu oritur, quæq; adeò conclusa est, ut aquam quoq; imò flatus continere queat. In hac namq; cavitate, movente Sennerto, è vicinis visceribus sæpissimè vitiosi humores coacervantur & pertinacissimè hærrent, qui si ibi subsistentes inclusi maneant, ventris rugitibus quidem hominem molestare possunt, interim tamen alia hypochondriacorum symptomata facile non adferunt, nisi, uti dictum, in vasa prænominata effundantur.

XX.

Viscera ergò sunt propriè subiectum morbi: vasa vero enarrata subiectum causæ. Illa sunt primaria causæ morbificæ generationis organa: hæc vero ejusdem principalis sedes. Canales namq; hi potius ad alimentum & humores distribuendos quam alterandos & procreandos à naturâ destinati sunt. Ut interim taceam causam singulis quasi horis humores hisce in vasis immutari. Proinde nisi simul & viscus quoddam ex dictis oblæsum fuerit materiamq; mali subministraverit sola hæc vasa per se adeò diuturnum & contumax malum, quale est hypochondriacum, progignere nunquam poterunt. Siquidem non
adeò

adeò difficili negotio humores è vasis pharmacorum ope
exturbari possent. Hinc etiam ipse Sennertus, uti supra
jam monuimus, lienem semper simul hoc in affectu labo-
rare vult. Et hæcenus de morbi hujus definitione.

XXI.

Iam & differentiarum breviter meminisse ordinis ratio
exposcit. Præter generales autem & communes affectu-
um præternaturalium differentias, quas hic recensere
nihil attinet nimisq; proluxæ esset operæ, ratione loci s.
partis principaliter affectæ morbus Hypochondriacus a-
lius spleneticus, alius Iecorarius vel Mesentericus, alius
Epiploicus vel Pancreaticus indigitari potest: prout scili-
cet ab hujus vel illius visceris vitio potissimum proгна-
tus. Sennertus inter differentias etiam refert quod mate-
ria nunc in vasis tantum extra viscera, nunc vero in ipsis
visceribus simul hæreat. Sed quid de hac distinctione sen-
tiendum, ex thesi præcedenti patet. Ratione materiæ af-
fectio hypochondriaca dirimi potest in simplicem; atq;
vel biliosam, pituitosam vel Melancholicam: aut com-
positam sive mixtam. Ex thesi v. 14. colligere est, quantum
veritatis illa distinctio habeat, quâ eadem in phantasti-
cam seu Melancholicam & non Melancholicam secun-
dum nonnullos dispescitur. Plures aliæ quoq; ex autoribus
recenseri possent differentiæ, quæ tamen cum non sint
magni momenti, aut certè minus rectè morbo huic ac-
commoventur, illas silentio consultò involvimus.

XXII.

Post differentias affectus hypochondriaci & in causas
ejus inquirendum, quia & hæ non satis planæ. In his au-
tem ipsis generationis ordinem & curationis methodum
sequendo à primitivis, externis ac procatarteticis incipi-
endo, ad internas seu antecedentes & deniq; continentem
seu

seu

seu proximam progrediemur. Ad hujus mali ergo generationem primò facit aër, crassus, udus, nebulosus, caliginosus, lacustris, maritimus, paludum, stagnorum, fluviorumve vaporibus ac eluvie inquinatus, spiritus obscurans, sanguinem & humores labefactans, corpus aggravans, cor mœstitia perstringens, mentem obnubilans: aut etiam nimis squalidus, siccus, humores corpusq; adurens.

XXIII.

Magis vero in victu errores commissi, veluti sunt assumpti cibi pravi succi, difficilis coctionis quiq; alimentum crudum, crassum, pituitosum aut melancholicum flatulentumq; suppeditare solent, quales sunt præcipuè panis nimium recens aut vetustus & mucidus, non benè fermentatus: legumina item, præter hordeum & avenam moderatè usurpatam, nec non ex oleribus blitum, atriplex & brassica. His accensenda ex radicum classe, rapa, raphanus, castanea, nuc. aquat. allia, cepæ. Fructus quoq; horarii præsertim dulces, flatulenti, lenti & viscidi aut aliàs corruptioni obnoxii meritò hoc in morbo improbantur. Excipiuntur autem poma laudabilia acido dulcia, cerasa acida, uvæ pensiles, amygd. pineæ, pistachia, quibus & cappares accensendi, qui quia per se difficilis aliquantum sunt coctionis, passulis Corinth. Saccharo atq; aceti momento condiri queunt. Pistorium & lactarium omne genus caseusq; vitandus, ova indurata, frixa: aves in paludibus & stagnis degentes, caro suilla, bubula vetusta, ferina quælibet ferè, omnisq; sale & fumo indurata: pisces palustres & viscosi imprimis fumo seu aliter exiccati & sale conditi malo huic uberem materiam subministrant. Salis etiam & salitorum immodicus usus, sua calefaciendi, siccandi, constringendi & densandi vi viscera & humores accendere atq; in hypochondriis facile detinere potest. In genere

genere etiam dulcía pleraq; hoc in affectu non adeò pro-
 bantur, quia placito; Pythagoræ τὰς σαληνικῶς τὰ μὲν δριμύα,
 καὶ τὰ πικρὰ ὑπερέλιμα: τὰ δὲ γλυκεία βλαβερά. Habentur nam-
 que lieni inimica obstructionis causa sunt flatibusq; oc-
 casionem suppeditant. Contra etiam acetum cum me-
 lancholicum humorem multiplicet exaltet & fermentet,
 teste Hippocr. de rat. vict. in acut. hypochondriacis ad-
 versissimum habetur. Parca tamen manu ad appetitus &
 saporis gratiam obq; insignem suam incidendi vim usur-
 patum, plus commodi quam incommodi adfert. Cibis
 prædictis annumeratur meritò vinorum generosorum,
 vetustorum, nigrorum, crassorum, pendulorum, muc-
 idorum: nec non cerevisiæ crassæ, feculentæ, picatæ triti-
 cæ, lupulo non conditæ, ex aquis crudis, impuris coctæ;
 aquæ item crudæ multus & frequens usus. Et omnino o-
 mnes dictæ in qualitate & quantitate errores & τὸ ποικίλον
 τῆς διαίτης huc pertinet, cum ob sola eiusmodi in victu
 commissa errata, nullo ante in visceribus internis existen-
 te vitio, malum hoc procreari queat. Existimantq; haud
 præter rationem præstantissimi Medici hanc ipsam in di-
 æta peccandi hodiernam licentiam in causa esse quod rari
 ab hoc malo immunes sint.

XXIV.

Quies præterea & otium corporis ignavum ob quod
 multa in corpore excrementa accumulatur, imprimis si
 accedant meditationes & lucubrationes assiduæ, autor &
 nutrix hujus mali non rarò existit. Unde literati & ij
 qui vitam agunt à laboribus vacuam, maximè ipsi sunt
 obnoxii. Vita namq; sedentaria, ut in genere ad excre-
 menta in corpore retinenda multum facit; ita in specie
 ad coacervandos in abdomine humores excrementitios
 plurimum potest. Cum enim crebræ in mesenterio &

C

pan-

pancreate glandulæ hæc etiam de causa à natura condita
sint, ne à ventriculo & intestinis repletis vel corporis in-
flexione & abdominis compressione vasa illic percuren-
tia comprimantur & distributio humoris impediatur, cer-
tè in vita, quæ sedendo maximè consumitur, vix fieri po-
test, quin vasa ista non aliquo modo comprimantur, ut et-
iam glandulæ istam compressionem satis prohibere non
possint. Imo ipsæ glandulæ si præter modum intumescant,
ipsa vasa comprimunt, imprimisq; hoc præstare valet
glandula illa insignior in centro mesenterii, quæ primæ
vasorum distributioni addita est, & qua tumore laboran-
te totius corporis marcorem ob impeditam Chyli distri-
butionem secutam fuisse observatum est. Non parum
tamen quæq; ad affectum hunc excitandum aut accele-
randum potest, exercitium non debito modo aut tem-
pore statimq; à cibo sumpto institutum. Quia chylo hæc
ratione ante justam elaborationem è ventriculo pulso
cruditates & obstructions mali hypochondriaci præci-
pua seminaria procreari nulli non manifestum esse pot-
est. Sic & in somno ac vigiliis modus habendus. In utroq;
libet namque horum si excedatur, huic vitio origo dari
potest.

XXV.

Tandem & alvi suppressiones, item consuetæ ac solen-
nes mensium aut hæmorrhoidum evacuationes inter-
missæ, malo huic non levem causam subministrant. Imo
& animi affectus concitatiores, præcipuè ira, curæ gravi-
ores ac macrores diuturniores fomitem eidem suggerunt.
Et nihil omnino est è rebus non naturalibus dictis, in cu-
jus usu si peccetur ut inde vel *χέλωσις* vel *αἱματώσις* lædatur
quod non etiam ad mali huius generationem facere pos-
sit, cum quicquid vitiosum hisce in coctionibus genera-
tur

tur, maximam partem in hypochondriis seu partibus abdominis cumulari soleat.

XXVI.

Causas vero internas easq; antecedentes quod attinet, malum Hypochondriacum producere possunt, quavis corporis partes viscus hoc in affectu principaliter læsum intemperie corrumpentes aut naturam vitiosam eidem subministrantes. Inter alias autem hoc non raro ventriculus hic præstat, utpote chylum illaudabilem vel vitio cibi vel morbi partibus secundæ concoctioni inserviētibus subministrando. Secundum vulgatum istud: Vitia concoctionis primæ nō emendantur in secunda. Etsi namq; ventriculus non sit proxima morbi Hypochondriaci causa, tamen si non in omnibus certè in plerisque hypochondriacis in consensum trahitur. Hinc ut plurimum illi malè cibos coquunt & non in chylum bonum sed vitiosum mutant. Sennertus id inde contingere scribit, quod sanguis pro nutritione ventriculi è venæ portæ ramis affluens non benè sese habeat, ipse hinc malè nutritus debilitetur & malè coquat, cibumq; inconcoctum plane relinquat, aut in alienam aut vitiosam planè substantiam convertat. Atq; ita reciprocam quandam malorum generationem esse ait; dum scil. lien præsum sanguinem nutriendo ventriculo suppeditat, atq; ab eo rursus chylum malum accipit.

XXVII.

Quidam hac in affectione ventriculum calidam & siccam intemperie laborare putant, eaq; calidiorem & sicciorum chylum producere venasq; etiam mesenterii intemperie simili præditas esse, ipsamq; Chylo crasso & cocturam calidiore foveri. Imò si veteres, locis in Præfatione thesium citatis, hoc malum designarunt, ex illorum sententia inflammatio orificii inferioris ventriculi concurrent, verum

tantum abest, ut hoc in affectu ventriculus semper sit calidior & siccior, ut etiam in plerisque; potius frigidus habendus. Id quod ex salivæ copia, ructibus acidis, flatuum abundantia, cruditate acidâ, vomitu pituitoso aliisque ventriculi frigidi signis colligere est. Interim si veteres per inflammationem non veram sed *Φλόγωσιν* seu calorem & æstum præternaturalem intellexerint, ipsorum sententia quodammodo tollerari potest. Ejusmodi namque ventriculi intemperiem quandoque hoc in affectu concurrere negare nolumus. Proprie autem dicta inflammatio locum hic habere nequit, quia febrim & alia longè graviora symptomata induceret.

XXVIII.

Bilis vero quæ per vomitum quandoque hoc in affectu reiicitur, ea rarius in ventriculo generatur, sed fere semper ex vicino hepate in ipsam effunditur. Sic etiam febres morbum hypochondriacum præcedentes ventriculi frigus potius exuperans quam calorem excedentem arguunt. Siquidem per illas potius calor ventriculi imminutus quam auctus. Demum quamvis in curatione huius mali quandoque adhibeantur modicè refrigerantia, tamen hoc non fit ratione ipsius ventriculi sed ratione reliquorum viscerum & vasorum. Omnia item alia quæ pro afferenda ventriculi temperie calida & sicca Authores afferunt, dictis visceribus potius quàm ventriculo cõpetunt. Et omnino ista *ἀντιπεραξία* & contraria intemperies fecerunt, ut multi Medici dubitaverint, utram hujus ægritudinis causam constituere debeant.

XXIX.

Non rarò verò causam antecedentem mali hypochondriaci lien supeditat, dum propter vitium aliquot excrementitios humores procreat & ad partem principali-

te

ter læsam ipsūq; malum proximè foventem, ut potè
mesenterium, omentum, pancreas vel hepar eosdem
postmodum amandat. Cum enim lien, uti Clarissimis no-
stri seculi Medicis placere video, etiam sanguificandi or-
ganum sit, pro alendis in ventre inferiore visceribus ven-
tric. scil. intestinis mesenterio, omento &c. Haud mirum
si is vel debilis maleq; sese habeat, vel erratum aliquod in
prima coctione commissum sit, quod in secunda hac cor-
rigi nequeat, vitiosum Sanguinem in liene generari, qui
ad partes hæc postmodū protrusus, mali hypochondriaci
autor fit. Unde haud nunquam observatum in Hypo-
chondriaci lienē ac ejus vicina vasa nigro humore reple-
ta ac turgida extitisse: imò talem humorem susque deq;
in maxima copia fuisse rejectum, qualem etiam Sole-
nand. sect. 2. Consil. 7. ad sex aut Sep. tem Libras ex dex-
tro hypochondrio à muliere nobili explosum fuisse re-
fert. Sæpè vero hic lien intemperie calidiore peccat. Un-
de sanguinem crassiorē fœculentiorem & adustiorē
generando reliquisq; partibus pro nutritione submini-
strando, mali hypochondriaci author fieri potest.

XXX.

Nonnunquam autem è contrario ab omento, vel me-
senterio, vel hepate tanquam parte remota malum origi-
nem sumit & vitiosorum humorum colluvies lieni aliive
ex visceribus dictis tanquam parti proximæ & principa-
liter læsæ communicatur. Interim tamen non semper
necesse est, ut ab alia parte s. viscere materia proxima
affluat, sed quandoq; ead. in illo ipso viscere læso gignitur
& subsistit. Neque hic prætermittenda est *ἰδιοσυγκροσία*
vel singulares corporum affectus seu inclinationes, atque
unde præcipua viscerum promanat infarctuum occasio,
venarum scil. exilitas, qua crassior humor subsistere atq;
in media hæere via cogitur, quæ corporis constitutio
non rarò avita hæreditate acquiritur.

XXXI.

Proximæ vero & continentis causæ rationem obtinent illi ipsi humores vitiosi & excrementitij in viscere principaliter læso & vasis dictis contenti actu ipso intemperiem & obstructionem producentes & foventes. Qui ut plurimum sunt terrestres & melancholici, aliquando tamen pituitosi aut etiam biliosi, aut certè ex his mixti. Et hæc nimirum est minera tam largi succorum lutulentorum & abundantium in prima corporis regione proven-tus, tum ex alimentis impuris atque corruptis, tum ex viscerum dyscrasia ac offensa proficiscens, dum scil. vitio-sus & imperfectè elaboratus sanguis in intermediis hypo-chondriorum ac præcordiorum tubulis, nonnunquam & spatiis inte-jectis collectus concreescensq;, ceu à natura partium prorsus alienus loci angustia conclusus & alie-num hinc calorem concipiendo æstuationis seu ebulli-tionis perennis circa præcordia notas profert. Sympto-mata verò reliqua in hypochondriacis frequenter con-tingentia, de quibus jamjam, humores aut vapores à mi-nera hac in abdomine restagnante ad alias partes delati, proximè progignunt.

XXXII.

Post causas & signa enarranda ac explicanda quæ nos in affectus hujus notitiam deducunt. Id autè commodius fieri nequit, quam affectus præternaturales & symptomata recensendo quæ illum plerumq; comitari aut insequi so-lent. Ex horum namq; relatione satis hoc malum inno-tescet, ita ut alijs præterea signis opus non sit. Primò autè enumerabimus offensas quæ circa facultatem potissimum naturalem, post quæ circa vitalem & demum quæ circa animale contingunt.

XXXIII.

XXXIII.

Initio autem etsi ventriculus hoc in morbo non sit pars primario affecta, uti antehac etiam dictum, nihilominus tamen plerumq; in consensum trahitur, & hinc multa circa ipsum symptomata contingunt, adeo quidem ut nonnulli saltem ventriculo sese male habere putent eundemq; solummodo accusent. Proinde licet appetitus in multis sæpè satis constet, imò sit aliquanto major & plus appetant multi quam concoquere possint, si præsertim acidi in ventriculo humores restagnent; tamen ἀπεψία aut coctionis tarditas & cruditas illis admodum familiaris, siquidem ventriculus ut plurimum frigidus & debilis aut sua natura aut propter alimentum vitiosum à liene transmissum. De quo pluribus thesi 26. Quandoq; & colluvies humorum in vasis sæpius dictis restagnans ventriculi coctionem haud parum interturbat, dum aut aliquando in ventriculum effunditur, aut vapores eò mittendo, ventriculo molestiam exhibet.

XXXIV.

Cruditatis quoq; soboles sunt ructus, [acidi potius quam nidorulenti, ob intemperiem ventriculi frigidam] flatus, rugitus & murmura hoc in morbo admodum frequenter contingentia, ita ut haud præter rationem morbus flatuosus dici queat. Cum namq; flatus duas agnoscant causas, calorem imbecillem (atq; vel revera & absolute talem, vel respectu naturæ resolvendæ) & materiam humidam, utraq; & hic concurrat. Siquidem semper hic materia crassa, terrestris & flatulenta & ad fermentationem seu ebullitionem prona, abundat, quam etiam plerumq; fovet & auget ventriculus frigidus & imbecillis, non rectè cibum concoquendo chylum vitiosum
sub.

subministrans. Hanc in materiam calor siue debilior, siue etiam validior, utpote copiosam & plerumq; crassam ac tenacem, agens, eandem in flatus resolvit. Imò chylus crudus & vitiosus ad lienem & hepar transiturus & propter crassitiem in via subsistens moramq; trahens flatibus originem præbet.

XXXV.

Controvertitur autem hic inter Authores ubi flatus isti hæreant. In ventriculo autem & intestinis illos ipsos frequentissimè enasci & contineri nullum est dubium, dum per superiorem & inferiorem gutturem adeò frequenter erumpunt. Cœterum cum in sinistro hypochondrio quibusdam diuturna fluctuatio percipiatur, statuunt colon intestinum ejus rei locum, quod ibi sit arctius faciliusq; ibid. flatus sedem figere quam exire queant. Quod etsi planè negari non possit, sæpius ob flatus illic coarctatos rugitus ac borborigmos causari; tamen cum exitus illis ibi non planè sit interclusus, interim aliquoties observatum sit, etiam repetitis evacuationibus & quiescentibus reliquis symptomatis, hanc tamen fluctuationem non tolli, colon locum aut causam illius quidam non esse putant. Marcellus Donatus hist. Med. mirab. 4. cap. 8. flatibus hisce sedem inter binas tunicas seu membranas mesenterii assignat. Calore etenim ejus pingvedine absumpta vacuum ejus locum relictum ichoroso humore repleti scribit. Verum locus fluctuationis mesenterii situi non respondet. Præterea pingvedine absumpta sponte sua partes distantes inter se concidunt. Interim flatus eò quandoq; irrepere posse absurdum planè non videtur. Sennerto tamen magis placet causam hujus fluctuationis contineri in illa cavitate sinistra

stri

stri hypochondrii sub diaphragmate ex ventriculi, omenti, coli & viscerum connexu efformata, cuius etiam superius in thesi 19. mentionem fecimus, quamq; Hieron. Fabric. ab Aquapend. in historia omenti luculenter descripsit.

XXXVI.

Frequentissimum etiam mali hypochondriaci accidens esse humoribus è ventriculo sursum repantibus, os saliva & humiditate aquea repletum ita ut communi proverbio hypochondriaci salivatores & sputatores audiant. Idq; fit vel à cruditatibus in ventriculo collectis, vel sero in ventriculo ex liene per vas breve aliasq; vias regurgitante. Quandoq; tamen materia in vapores calidos soluta ubi illi per œsophagum vel asperam arteriam ascendunt paulatim linguam & os exiccant & sitim levem excitant.

XXXVII.

Vomitus item cibi crudi & in concocti, aut humorum pituitosorum, melancholicorum & acidorum dentibus stuporem inferentium haud rarò hoc in affectu contingunt. Cum enim ventriculus materiam noxiam non omnem domare aut concoquere aut eandem ad inferiora protudere possit: illa ipsa etiam, propter ineptitudinem ad nutriendum, ab intestinis & vasis illuc pertinentibus non attrahatur, per superiora, vomitu interveniente reiicitur. Ubi tamen monendum, non quævis semper, quæ vomitu excluduntur, in ventriculo genita, sed non rarò è liene lo: isq; vicinis eò transmissa esse, uti supra thesi 28. diximus.

XXXVIII.

Nec non ventriculi dolores ad dorsum quandoq; pertringentes animiq; anxietates, à sumpto præsertim cibo, quandoq; etiam nullo assumpto hypochondriacos frequen-

D

quen-

quenter infestāt, quæ quidem in quibusdā concocto cibo remittunt, alio vero iterum ingesto, mox revertuntur. Dum enim cibus semicrudus in ventriculo moram trahit & in flatus resolvitur, anxietatem ventriculo parit. Si vero ad vasa vicina intemperie calida laborantia, perveniat, fit à calore igneo quasi quædam ebullitio, partesq; chyli plurimæ in flatus abeunt & non modo ventriculum sed & hypochondria distendunt angustiamq; pariunt, cui & nonnunquam horror quasi febrilis aut lipothymia succedit. Neq; hæc symptomata prius cessant quam natura quod crassum est vomitu rejecerit, quod vero tenuius per poros cutis, vel sensibiliter formā sudoris, vel insensibiliter, discusserit.

XXXIX.

Alvus adstricta plerumq; est ob vasorum sæpè in utroq; latere & utriusq; visceris lienis & hepatis siccitatem, ob quam alvi adstrictionem & flatus retinentur, qui hypochondria tendunt, fœcibus vero permixti eas spumosas & bubulis similes reddunt. Accidit hisce & hoc quod cibus sæpè saltem in pituitam quandam & humorem viscidum & flatuosum mutetur, qui cum corpori alendo ineptus sit, in intestinis non promovetur atq; ut viscidus & glutinosus pertinacius iis adhærens, alvi continuo adstrictæ causa est. Neq; enim facultas expultrix humorem adeò viscidum nisi medicamentis adjuvetur, rejicere potest. Interdum tamen, si humores acriores reddantur & exasperentur, fluxus alvi concitatur nunc biliosum, nunc atrabilarium & nigrum admixtum humorem habens. Quandoq; tamen & ob ventriculi frigiditatem seu debilitatem alvi fluor contingere potest.

XL.

Præter ventriculi concoctionem seu *χύλωσι* & *αιμάτωσι*
seu

seu sanguificatio hepatis, sæpius verò lienis læditur, si-
quidem visceribus; per se vel ob sympathiam læsis, san-
guificatio ritè procedere nequit. Proinde etiam plerum-
que Hypochondriaci simul & cachectici.

XLI.

Æstus etiam in hypochondriis & quasi inflammatorius
quidam affectus molesto ardore & fervore interno, nunc
in uno, nunc in utroq; hypochondrio ægros affligere solet,
ex humoribus calidis & fervidis eo loci conclusis. Et so-
let iste calor sese magis exserere, ubi vel cibi aut potus ca-
liditate, vel alia causa, humores agitati fuerint, solentq;
tunc calidis vaporibus sursum ascendentibus malæ & to-
ta facies rubescere. Interdum etiam & quando vapor ex
largiore præsertim potu per universum corpus dispergi-
tur, ephemera febris quasi excitatur, quæ vaporibus illis
sudore discussis, paucas intra horas evanescit.

XLII.

Gravitas, tensio aut pondus nunc in medio abdo-
minis, nunc v. in hypochondriorum uno vel altero vel
utroq; plerumq; percipitur; prout scil. lien, epar, omen-
tum, mesenterium vel pancreas vitiosis obsidetur humo-
ribus. Quamvis non semper manifestus dolor, tumor, aut
durities conspiciatur.

XLIII.

Ob vitiosam & depravatam corporis nutritionem
corporis habitus plerumq; cacochymus macilentus, sic-
cus, citrinus, viridis pallidusve; aut è contrario fuscus,
nigricans, pilosus, hispidus, pro varietate scil. humo-
rum exuperantium.

XLIV.

Ex urina minus certum iudicium sumi potest, si-
quidem illa varia est, nunc tenuis scil. nunc crassa, turbi-
da,

D 2 da,

da, feculenta, rubicunda. Tenuis quidem cum humores crassi & vitiosi urinæ vias obsident. Plerumq; vero turbida crassa, rubra multumq; tartareæ materiæ deponens, imò & interdum foetida, ob materiæ peccantis commixtionem.

XLV.

In hypochondriacis magna quoq; pulsuum varietas & inæqualitas occurrit, sæpeq; sæpius cordis angustia & palpitatio imò & animi deliquium contingit, partim ob vapores ab humoribus pravis ad cor pertingentes. Atq; tum plerumq; ægri de vita desperare auxiliumq; obnixè postulare solent.

XLVI.

Pulsatio præterea in sinistro hypochondrio eosdem haud rarò ob celiacum arteriæ ramum illic perreptantem fatigat. Si præsertim camarina hæc ob vehementiorem corporis aut animi motum aliamve causam exagitet ac incalescat. Ad quam rem faciunt & glandulæ, in mesenterio plurimæ & præsertim magna illa in centro ejus constituta. Hæ namq; vitiosis humoribus turgentes & hinc arterias comprimentes ejusmodi pulsationem vehementiorem causant.

XLVII.

Respiratio difficilis sæpè redditur & dolor quidam ac constrictio in pectore per sentitur, cum ob nervos musculis pectoris dicatos affectos, tum quia per venas & arterias vapores è materia prava in hypochondriis stabulante in musculorum spatia effunduntur, vicinasq; membranas afficiunt. Quibus accedit & hoc, quod flatus & vapores partim ex crudis humoribus in ventriculo partim ex pravis humoribus in hypochondriis collectis excitati, diaphragma comprimant.

XLVIII

XLVIII.

Materia vitiosa quando ipsa per se aut in vapores resoluta, sive per venas & arterias, sive per alias vias ad caput pertingit, varios affectus & symptomata in capite ac nervoso genere producit. Cum namq; vapores ii sint sicci & simul quandoq; calidi, cerebrum exiccant, spiritus animales perturbant, vigiliasq; molestas aut somnos divulsos, perturbatos, insomniasq; terroris plena, si melancholici fuerint, pariunt. Inprimis v. vigiliae post in-tempestam noctem plerosq; molestare solent. Etsi enim ad mediam ferè noctem satis benè dormiant, tamen postea evigilantes aliquot horas insomnes traducunt. Id autem Excell. Sennertus inde contingere scribit, quod tum Chylus distribuitur & ad coctionem ac lienem vicinaq; vasa pervenit, tum humores vitiosi latentes agitentur & ab exagitatis vapores eleventur, qui per venas & arterias ad caput delati vigilias excitant, quæ in nonnullis ad diem usq; durent, in quibusdam verò vaporibus discussis iterum somnus succedat. Verum hanc somni interruptio-nem etiam accidere, quod vapores è cibo in caput delati & cerebrum replendo ac demulcendo somnum provo-cantes, tum temporis magna ex parte jam sint absumpti & discussi nullum est dubium. Quod autem non adeò facile iterum obdormiscere queant, in causa est tum ce-rebri siccitas, tum vaporum ascendentium caliditas, ari-ditas & acrimonia.

XLIX.

Similiter ob materiam ad caput delatam hypo-chondriacis capitis dolor & debilitas, vertigo, oculorum caligo, aurium sonitus & similia accidentia frequenter contingunt. Nonnunquam si humor in pejus degeneret & peculiarem dispositionem hisq; affectibus propriam

acquirat, convulsiones, epilepsiam, imò, præter inæm
& mœstitiã etiam delirium generat. Licet hoc si fiat ad
melancholiam hypochondriacam in specie dictam
hunc affectum tum referre malim.

L.

Insuper neq; lassitudo spontanea, crurumq; dolor
hic prætereundus. Humore namq; aut vapore ad ner-
vos brachiorum & crurum delato, membra hæc ad mo-
tum pigra redduntur. Ad lassitudinem tamen excitan-
dam etiam facere possunt humores serosi, quando cum
sanguine per venas & arterias in corporis ambitum di-
stribuuntur, & præcipuè ad crurum musculos descendunt
eosq; gravant, ut tendi membra & pondere quasi adpen-
so graviora putentur. Imò interdum dictis in partibus
aut etiam universo corporis habitu dolor, mox iterum
plerumq; desinens, excitatur, quando scil. humores se-
rosi vel etiam vapores membranis ac nervis sese insinu-
ant eosq; tendunt ac vellicant. Iidem ad extremos ma-
nuum & pedum digitos delati formicationis sensum vel
stuporem ibid. concitant. Coronidis tamen loco hic ad-
vertendum, hætenus enumerata symptomata non o-
mnia in omnibus, sed nunc pauciora, nunc plura, modo
hæc modo illa, pro varietate scil. subjectorum partium
læsarum & humorum peccantium, aliarumve circum-
stantiarum apparere.

LI.

Si deniq; ætas consistens aut inclinans, anni tempus
autumnale accedat, aut victus crassus & minus salubris,
vita gulæ aut otio dedita aut certè animi potius quam
corporis exercitiis indulgens, consuetarum excretionum
suppressiones, morbi acuti aut chronici, quibus superatis
Natura plerumq; eorum reliquias in abdomen depone-
re con-

re consuevit, præcesserint, & illa magnum hujus affectus indicium præbent; quæ tamen omnia cum inter causas prolixius simus persecuti, ea hîc repetere laboris esset supervacui.

LII.

Signa interim partis principaliter affectæ paucis attigisse haud abs re fuerit. Si in mesenterio omentove materiæ fomes maximè stabulatur, in abdominis parte anteriore seu media gravitas & tensio quædam sentitur, post cibum sumptum horis sex vel septem ferè flatus rugitus & dolores ibidem percipiuntur, nulla interim in liene hepateve manifesta offensio animadvertitur. Eadem ferè contingunt si pancreas morbo hypochondriaco hospitium dederit, nisi quod dum dolor ad dorsi regionem & ventriculi compressio magis molestat. Si vero lien aut hepar primarius mali author extiterit, tum cachexia, gravitas, tensio, dolor, durities aliæve affectorum horum viscerum notæ sese manifestabunt, v. g. calor in hepate exuperans per maxillarum ruborem, manuum & pedum calorem sitim ac urinæ ruborem & similia. Si in cavitate illa inter lienem, ventriculum, colon & omentum materia maxima ex parte concluditur, tum etiam rugitus & murmura magis frequentia ibid. exaudiuntur.

LIII.

Quæ verò pars aut quis affectus huic malo potissimum occasionem dederit, itidem ex partium læsione & affectibus progressis addiscitur. Si enim ventriculus in causa fuerit è coctionis læsione seu vitio, nauseativa satietate, angustia & compressione, dolore, vomitu, lipopsychia, aliisque ejus noxis dignoscitur. Et quidem intemperatura calida ex ructibus nidorulentis, æstu circa præcordia,

dia,

dia, vomitu bilioso, delectatione frigidorum &c. Frigida vero ex coctionis difficultate & tarditate ructibus acidis, flatibus, crudorum succorum vomitu &c. Si ex mensium aut hæmorrhoidum suppressione malum ortum habeat, earum defectus & symptomata hunc consequentia id patefacient: Ita etiam si uterus malo originem dederit ejus læsi signa adparebunt. A totius denique corporis consensu hunc affectum productum indicant febres quartanæ aut aliæ chronicæ progressæ, corporis complexio vel natura vel fame, curis, sollicitudinibus, vigiliis, laboribus, &c. sicca, gracilis & excarnis. Si denique ex errore externo progerminaverit commissum erratum in sex rebus non naturalibus id demonstrabit.

LIV.

Prognostica hujus morbi quod spectat, incipiens quidem aliquantum facilis est curæ: confirmatus vero omnino difficilis est sanationis, siquidem tum viscerum dispositionem eversam iterum restituere arduum admodum est negotium. Curationem etiam inter alia difficilem reddit materia morbifica, tum ratione suæ substantiæ, tum ratione loci quo conclusa hæret. Quandoquidem sua natura est lutulenta, limosa, crassa & viscida atque in exilibus ac capillaribus vasis aut aliis locis coarctata hæret, unde non nisi summa cum difficultate exturbari potest. Ut jam non dicam, novam subinde materiam ex assumptis indies iterum congeri ac accumulari. Accedit viscerum *ἀντιπραξία* & contraria, tum horum, tum humorum intemperies. Etenim ventriculus plerumque frigidus est, contra humores in hypochondriis & ipsa vasa quibus continentur, sæpius calida. Adeo etiam in abdito latet hic affectus & tanta symptomatum syndromē in

drome in eod. concurrat, ut etiam exercitatissimi Medici in dignoscendo loco affecto non raro ludantur. Imò vix alius morbus tanta accidentium multitudine & varietate & ægro & Medico tantum negotii faceffit. Proinde cum curatu sit pertinax, atq; hinc ægri in continuandis medicamentis minus sint obtemperantes, imò etiam sæpius Medicos mutant, curatio non semper ex voto succedit. Periculum etiam portendit hic morbus, quod membra principalia vel jam offenderit, vel facile in consensum trahat, accidentia item lethalia aut curatu difficilia secum afferat.

LV

Juniores, habitu corporis carnosissimi, pingves, temperamento frigidi & humidi hoc morbo correpti periculosius laborant, quam ætate majores, sicci & melancholici, quia longius ab illorum quam horum materia illa distat, & hinc causam vehementem præcessisse colligere est, juxta aphor. 34. Sect. 2. Hippocratis. Idem etiam statuendum de mulieribus, siquidem & hæc viris frigidiores & humidiores. Accedit quod in hisce malo hypochondriaco non raro uterini affectus sese associant, illudq; expugnatum difficilius reddant.

LVI.

Si humores vasis ita impacti sint, ut ea veluti varicosa & cancrosa facta fuerint, quemadmodum Mercatus aliquando se observasse testatur, malum ferè desperatum est medicamentisq; facile exacerbatur. Contumacissimum etiam malum est, cum materia in omenti cavitate hæret, cum vix catharticis inde exturbari queat.

LVIII.

Lenius malum est cum in dextro hypochondrio mali causa colligitur, cum humor sit mitior; gravius,

E

cum

eum in sinistro; gravissimum, si in utroq; & quo humor
magis ad atræ bilis naturam accedit.

LVIII.

Hypochondriacâ passio febribus acutis aut chroni-
cis, humoribus adustis & corporibus exiccatis succedens,
periculi exors non est.

LIX.

Alvum in hoc morbo laxam habere, bonum; con-
trarium, malum. Vomitus quoq; cum *Œpœla* sæpe uti-
lis. Appetitus contra prostratio pro malo habetur signo.

LX.

Urina crassior melior est hoc in morbo quam a-
quosa & tenuis, siquidem hæc crassos humores in corpo-
re detineri arguit. Nigræ quoq; & copiosæ urinæ sine
febre, nonnunquam eandem solvunt.

LXI.

Hæmorrhagiæ narium, hæmorrhoides, menses,
dyssenteria, similesq; excretiones si moderatæ fuerint &
facile ab ægris perferantur, utiles: immoderatæ pericu-
lum portendunt & in hydropem ferè præcipitant.

LXII.

Affectio hypochondriacâ propter fœculentorum
succorum pleonexiam, caloris innati defectum & œco-
nomiæ naturalis langvorem, scorbutum sæpè comitem
sibi adsciscit: non rarò quoq; in hydropem degenerat.

LXIII.

Hypochondriaci sæpè nauseabundi, vomentes, as-
sumpta male coquentes vel in febres hectica non absimi-
les incidentes, tabidi moriuntur.

LXIV.

Vertigo, Cephalæa in malo hæc contingens in epi-
lepsiâ & convulsiones, vel cæcitatem vel apoplexiam
quandoq; abit.

Cogni-

LXV.

Cognita perspectaque morbi indolentia ac moribus ipsius ritè exploratis ad Therapiam demum accedendum. Hæc autem tribus summis Medicæ artis instrumentis Diætâ, Chirurgia & Pharmacorum usu absolvitur, quæ singula pro naturæ ac laborantium viscerum varietate accuratè distinguenda sunt. Victus autem ratio Naturæ ordine prior ac tutior est, atq; ex mente Galeni accommodatissimum, primum ac nobilissimum curationis organum. Etenim per materiam naturæ consuetam & familiarem peragitur. Et certè, si ullo alio in morbo exquisita & accurata hic opus est. Siquidem à diætæ erroribus malum hoc sæpè originem sumit aut certè fovetur, hincq; debita victus ratione in affectus hujus curatione nihil, quod laudem meretur, peragitur: frustra q; curantur quorum ingenium servandis diætæ præceptis minime natum est. Si verò accurata instituat, haud parum ad morbum hunc expugnandum momenti habet.

LXVI.

Facilè autem ex lege contrariorum judicare erit, qualis hîc vitæ ratio instituenda, si quis ea quæ suprâ in causis procatarteticis diximus in memoriam sibi revocaverit. Primò igitur aer calore & siccitate eligatur moderatus, aut parum ad calidum humidumq; vergens, non nimium tamen æstuosus humoresq; adurens; aptus verò interim ad spiritus substantiæ puritate nutriendos lucisq; candore serenandos.

LXVII.

Cibi sint substantia euchymi, facilis coctionis, temperie mediocres aut parum ad teporem humiditatemq; declinantes, quales passim apud Authores legere est, Sint præterea quantitate mediocres & varietate simplices,

ces, ita ut æger eosd. facile toleret, optimè coquat citraq; omnem molestiam distribuatur. Potus sit vinum album, tenue, beneq; maturum, non austerum aut materiam tartaream suppeditans: aut hujus loco cerevisia pura & bene defœcata. Potus etiam condiri potest chamædry, pimpinella, sangvisorba, melissa, borrag. buglossa &c.

LXVIII.

Corporis motus & exercitia sint moderata, vita namq; sedentaria incommoda est & cruditas, obstructionum ac excrementorum proventus primaria causa.

LXIX.

Somnus sit nocturnus & intra mediocritatis limites consistens, ne excedens sensuum mentisq; vires torpore debilitet, calorem obtundat, spiritus effundat & obnubilet, functiones naturales infringat crudosq; humores accumularet: Imminutus verò facultates corporis exhauriat, sensus hebetet ac mentem perturbet.

LXX.

Quotidianæ aut consuetæ atq; ad vitam tutandam comparatæ eximieq; confertes evacuationes sedulo procurandæ, ne præter rationem subsistentes inhibitaq; naturæ sint molestæ morbisq; materiam substernant. Usus conjugii non nisi ad materiæ turgentis redundantiam imminuendam administrandus.

LXXI.

Animi pathemata & perturbationes quibus ceu procellis ac fluctibus mens jactatur, spiritus ac calor ingenitus multum dissipantur aut obruuntur, omni ratione præter moderatum gaudium, declinandæ quiesq; animo imperanda.

LXXII.

Postremò omnium & Pharmacia hujus ægritudinis
bre-

breviter, prout scil. Disputationis lex jubet, tradenda, cui
& quæ ad chirurgiam spectant, ne curationis ordo inter-
rumpatur, immiscebimus. Ultramq; autem feliciter ad-
ministrabit is qui Indicantium & Indicatorum vim dex-
trè affecutus fuerit. Indicantium nomine tria in confide-
rationem veniunt: *Causa morbi, Morbus & Virtus*. Ra-
tione causæ morbificæ humor peccans exturbandus o-
mnisq; vaporum effumantium proventus submovendus.
Deinde ægritonia ipsa, quæ in intemperie & obstructio-
ne viscerum ac vasorum fundatur demolienda. Demum
ventriculi, lienis, hepatis, mesenterii, omenti & reliquo-
rum viscerum, quæ in hoc affectu potiorem morbi mo-
lem sustinent, virtus & robur studiosè custodiendum no-
xiaq; symptomata avertenda. Verum hæc omnia ex-
pedire difficillimum est. Etenim contrariæ hic occur-
runt Indicationes, dum ventriculus plerumq; debilis &
frigidus existens calida requirit: attenuantia, detergentia
& aperientia, quæ plerumq; præparationis gratia adhi-
bentur etiam pleraq; calida sint: contra calida & inflam-
matoria illa vasorum & reliquorum viscerum ac humo-
rum dispositio refrigerantia desideret. Cautè proinde
agendum, ne dum uni prodesse studemus, alteri nocea-
mus.

LXXIII.

Prima ergò hoc in morbo intentio, quæ occurrît
est excrementorum primis in viis hærentium evacuatio,
ne illa in sequenti attenuantium & aperientium usu ad
penitiores corporis partes deducantur. Eccoproticon
igitur per os exhibeatur, aut alvus Clystere eluatur: aut
si materia præsertim tenuis acidave in ventriculo super-
natet ac abundet, vomitus leni Emetico, si nihil aliud
prohibeat, cieatur.

E 3

Post-

Postmodum si corpus adhuc succi plenum, malum in principio constitutum, *Φλόζωπς* viscera infestet, materia etiam vasis majoribus communicata, naturæ vires luctent, moderatè ex brachio sanguis educi potest, atq; vel dextro vel sinistro, prout status morbi svadebit atq; hoc vel illud hypochondrium magis minusve laboraverit, Licet enim decreto Galeni II. M. M. 14. nec obstructio nec putredo per sanguinis missionem curari queat: Plenitudo tamen & viscerum calor exuperans obstaculo esse potest, quo minus tutò aut efficaciter reliqua præsidiorum genera in usum trahi queant.

Si hujus loco hæmorrhoides internæ dictæ pharmacis, glandibus acribus aliove artificio aperiri possent, maximo id cum commodo agri fieret, siquidem ita commodissimè humores in venæ portæ ramis collecti expurgarentur. Verum id rarò feliciter succedit, nisi natura sponte sua hunc fluxum concitet. Externæ verò etsi, quod à vena cava originem habeant, non tanto cum commodo ad humorem melancholicum evacuandum, aperiantur & fluant; Experimentiâ tamen constat & ab horum fluxu, propter communicationem & osculorum mutuum occursum cum internis, melancholicos, lienosos & hypochondriacos juvari, non abs re fuerit & sanguisugarum admotu ex venis ani sanguinem prolicere. Hæc autem sanguisugarum admotio aut hæmorrhoidum provocatio maximè instituenda aut sollicitanda, ubi ab hæmorrhoid suppressione natum ortum traxit. Utile est & horum loco venas in pedibus aperire, quod etiam maximè tentandum in mulieribus, quæ ob remoram mensium vitium hoc incurrerunt.

LXXVI.

In debilioribus citra virium jacturam loco venæ sectionis cucurbitulæ cum scarificatione lumbis, natibus, cruribus surisve applicari queunt.

LXXVII.

Postmodum ad præparantia cum corporis tum humorum accedendum. Illud scilicet alterando aperiendo & referando: hos verò incidendo, detergendo, temperando: qualia sunt rad. gram. asparag. fœnicul. scorzon. filic. polypod. cichor. glycirrh. herb. capill. ven. endiv. Ceterach. lingv. cerv. Chamædr. fumar. agrim. veron. cent. min. absinth. sem. genist. fœnic. fl. borrag. buglos. &c. Serum lactis, Syr. de duab. vel quinque radicibus bizant. borag. bug. de pomis &c. Essentiæ item ac Extracta ex supra dictis parata, fœc. rad. ari, Chymici maximè hic extollunt tartarum ex eoq; parata medicamenta, ut Cremor. Hujusd. tartar. Olat. Spirit. Tartari &c. hujus generis pharmaca mutanda & varianda etiam pro ratione loci affecti & natura humoris peccantis. Nam cum ipsi lieni humores impacti sunt, fortioribus utendum: quando humores calidiores, atrabilarii, falsi & acres & qui ignis quasi seminaria in se continent, & viscera quoq; calidiora, temperata tum magis conveniunt, in frigidioribus verò calidiora. Ut plurimum verò à valdè calefacientibus & siccantibus abstinendum aut convenientibus ea mitiganda. Quidam & foci ac balnea præparationis loco, quod calore corpus appetant, humores liquent ac fluxiles reddant, adhibere sudent. Verum in magna humorum saburra ante purgationem corpus balneare minus tutum. In præparantium etiam doctrina studiosè observandum, ut illis semper visceri principaliter læso maximè grata & familiaria permisceantur.

Præ-

LXXVIII.

Præparantibus meritò succedunt purgantia; ubi tamen à fortioribus, ob ventriculi debilitatem, viscerum & humorum caliditatem, hîc abstinendum. Conveniunt autem potissimum fumar. polypod. Epith. helleb. nig. gialapp. Sena & ex his præparata medicamenta composita ut Syrup. Elect. v. g. Syr. de pom. Saboris, vel Quercetani aut syr. hellebor. major minorve aut vinum senæ purgans, Ejusd. in Pharmac. Dogm. descripta. Varias etiam purgantium formulas reperire est apud M. Martini in hist. affect. hypochondr. Commendantur & hoc in affectu decoctum Galli Augustan., pil. de Ammoniaco, Tartaræ & similes. Cathartica autem nunc mitiora nunc vehementiora esse debent, prout humores purgandi magis vel nunq. ad purgand. faciles aut difficiles. Eadem etiam pro ratione humoris peccantis varianda. In pituitosis n. agar. turbith. mechoac. & in biliosis manna, cass. rhabarb. & similia in usum quoq; trahenda aut reliquis jungenda. Præparantia etiam & purgantia nunc seorsim nunc conjunctim, prout usus postulat, usurpari queunt. In contumaciori quin etiam malo ead. sæpius repeti debent. Talis enim hujus mali plerumq; indoles ut à paucis non facile superetur medicamentis.

LXXIX.

Hoc ipso in casu etiam vomitus repetitus non fuerit inutilis. Sæpè namq; vomitu eos humores primis è vis rejectos fuisse observatum est, qui purgantibus evacuari nequiverunt. Huic intentioni inservire poterunt ex asaro & genista præparata pharmaca, ut diasarum Fernellii, Sir. Emeticus Ang. Salæ, Sal Gili vel Gilla Theophr. Ratio tamen ventriculi omninò hîc habenda. Siquidem si is debilis multum, vix locum habent, & ipsi afflicto ærumnam addere haud consultum.

Reli.

LXXX.

Reliquias etiam humorum vitiosorum per diuretica, non tamen nimis siccantia aut calefacientia, sed temperiora, ut rad. gram. aspar. ononid. glycyrrh. Sem. anis. petrosel. bacc. alkek. juniper. terebinth. &c. evacuassee haud inutile erit. Quales pil. etiam sunt apud M. Mart. Tr. de morbis mesenterii descripta.

LXXXI.

Si haecenus dictis malum non plane & ex toto averruncari seu expugnari queat, ad duo tanquam efficacissima remedia chalybem sc. & Acidulas confugere utile erit. Et licet quis dubitare queat, num chalybs, utpote multorum sententia calidus & siccissimus hoc in affectu conveniat; tamen Experientiae hac in parte magis quam rationibus fidendum, siquidem multiplici & fida experientia rerum omnium Magistrata constat, chalybem hoc in morbo viscera corroborando & obstructions eorund. eliminando, praesidium esse admodum probatum. Neque enim chalybs hic tam alterandi, quam obstructions aperiendi gratia exhibetur, atque hinc longe majus commodum quam incommodum ex ejus usu sperandum.

LXXXII.

Qua ratione autem chalybs in morbo hypochondriaco juvamentum praestet, apud autores controversum est. Quidam chalybem pondere suo obstructa permeare & ita ab infarctu liberare putant. Quorum tamen opinio locum habere nequit, cum chalybs, utpote crassioris substantiae, ad penitiores corporis partes penetrare non valeat. Alii eund. purgandi vim, licet non electivè purgantem habere statuunt. Verum chalybi adeo validam purgandi efficaciam inesse ut crassos & contumaces ejusmodi humores validè impactos & longius distantes exturba-

re queat, Experientia non subscribit. Sennerto probabile videtur ferro & chalybi peculiarem cum humoribus melancholicis & adustis intercedere cognationem, atq; hinc illum hos uti magnes ferrum attrahere seu imbibere sibiq; unire. Et certè atram bilem, ut & ipsam melancholiam $\text{\textcircled{O}}$ latae naturæ participem aut saltem ei cognatam esse, & ferruginei quid sapere, nemo facile negaverit. Præterea qui analogiam Macro- & Microcosmi explicant, scribunt quod Mars metallicus majoris mundi respondeat Marti microcosmi, ejusq; servitio destinatur, & custos sit valetudinis ejus membri, cui cœlitus videtur esse destinatus. Chalybs igitur intrò sumptus cum naturæ sit metallicæ inque alimentum converti nequeat, sit etiam crassioris substantiæ quam ut in penitiores partes penetrare queat, natura eum per alvum maturè iterum expurgat, unitus igitur cum humoribus melancholicis, simul isti cum eo evacuantur. Hancq; sententiam confirmari & eo ait, quod dum chalybs per alvum dejicitur, fæces nigræ reddantur & nisi id fiat, parum fælix sit chalybis usus ab eoq; desistendum esse. Licet ipse Sennertus non disteatur atrum hunc excrementorum colorem, non semper ab humoribus ejusmodi coloratis sed nonnunquam à ferro & vitriolo provenire. Interim ex dictis patere ait, chalybem non solùm aperiendo, sed & humores vitiosos educendo hinc emolumentum adferre. Verùm quod pace B. Sennerti dictum velim, hac ratione chalybs parum distaret ab electivè purgantibus, & modo relata ab authoribus illis nondum satis, sunt probata ac confirmata. Hinc licet ferro, in primis crudo non planè omnem purgandi per alvum vim denegemus: interim tamen magis eorum nobis probatur sententia, qui siccando, abstergendo, aperiendo & corroborando chalybem hinc potissimum

mum

num prodesse autumant. Siquidem vi sua siccante & detergente cruditates absumit, penetrante infarctus recludit humoresq; attenuat, adstringente v. viscerum tonum conservat ac roborat. Natura autem corroboratâ viis patefactis humoribus attenuatis & deterfis postmodum ab ipsa facilius hos excludi posse haud mirum. In hunc finem autem ego chalybem ritè præparatum & attenuatum, quod sic magis penetrare valeat, quam crudum prætulerim. Modum autem præparandi & exhibendi gratiâ brevitatis hîc proponere superfedemus, cum id abundè à Quercet. Crollio, Libavio, Sennerto, Matth. Martini aliisq; autoribus abunde præstitum sit.

LXXXIII.

Cæterum ut chalybis ita & acidularum usu sæpè malum hypochondriacum, quod aliàs expugnari non poterat, curatum fuit. Quarum aquæ dubio procul ead. quâ chalybs ratione juvant, suis sc. partibus & spiritibus mineralib. quibus abundant aperiendo, detergendo & incidendo: aut, uti Sennerto placet, iisd. secum humores vitiosos è corpore rapiendo & deferendo. Non pauci quoq; Practicorum & thermas hoc in malo commendât: verum ego harum usum ob suam calefaciendi & siccandi vim, minus tutum existimo. Demum medicamentis cum internis tum externis morbi reliquiæ tollendæ partibus maximè laborantibus, veluti ventric. lieni, hepatis mesenterio cordi & similibus subveniendum totique corpori prospiciendum, viscerum dyscrasia aut obstructio si qua super sit, corrigenda ac referanda, robur pristinum ipsis restitutum, viresq; morbo accisæ convenientibus refarciendæ. Quæ in omnia ex artis præscripto moderanda, ne dum uni prodesse studemus alteri noxam inferamus. Huic scopo inservire potest serum lactis capr. ad 14. vel plures dies potum, per se, vel cum succ. essentia extract. aut conf. cichor. fumar. endiv. card. bened. Veron. Chamæd. Cetrach. &c. Et si seri flatulentia metuitur, ipsi anis. fœnic. coriandr. aut lignum sassafras incoqui potest. Habetur & tale serum apud Martini de affect. hypoch. p. 264. descriptum. Aqua Antihypochō-

dria.

driaca ab eod. p. 320. proposita itidem utilis esse poterit. Ventrículo confortando profunt sp. aromat. rosat. diagal. morfell. Imperat. El. diacor. Elix. propriet. Spiritus Oli. Ven. & Martis, El. stomachale acidum Mart. mel acid. Cratonis &c. Lienis robur reparant trochisc. de cappar., de scolopendr. apud Sennert; prax. part. 4. c. 3. pulv. diacappar. Holler. Sir. de scoria ferri Merc. vinum chalybeatum Quercet. Tartar. Chalybeat. Crocus Martis, aut essent. ejusd. Extr. splenis bovini Crollii &c. Jecori vires afflant troch. de Eupat. absinth. Sp. diatr. sant. diarrhod. Abb. conserv. ros. Plat. cichor. acetos. tinct. ros. El. de vino Holler. & Martini &c. Eund. in finem & exterius iisdem partibus fofus, litus & Emplastra accommodata applicari queunt. Imò & balneorum ex aqv. dulci usus cum moderate adhibitus, ad intercutanea spiracula laxanda humorum reliquias liquandas & eluendas, meseræi tubulos ampliandos, fordes iisd. impactas detergendas, crassamq; & terrenam illuviem removendam haud parum laudatur.

LXXXV.

Speciatim v. hic etiam monendum venit, si malum hypochondriacum à fluxus hæmorrhoidalis vel menstrui suppressione originem sumpserit, tum curam potissimum ad illius promotionem in artis methodo instituendam esse. Sublata namq; causâ simul & Effectus tolletur. Semper tamen & hypochondriacis ad propriata simul immiscuisse ex re erit.

LXXXVI.

Postremò omnium & medela symptomatum jam proponenda esset: Verum cum id abundè à Practicis præstitum sit, & morbo etiam ritè curato illa ipsa per se evanescere soleant, hoc labore merito supersedemus. Hoc unicum auctarii loco iterum monuisse sufficiat, cavendum studiosè ne errorem quem Medici communiter hic errare solent, erremus, ut dum nimium calefacientibus & arefacientibus pharmacis flatus, rugitus ac ventris borborigmos displodere ac absumere intendimus morbum ipsum augeamus, totamq; corporis œconomiam pervertamus. F I N I S.

